



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 3. Quæ partes dicendæ, vel omittendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)



bus Missa propria, non item pro Confessoribus reperia-  
tur.

## §. III.

*Quæ partes dicenda vel omittenda.*

I. **I**N Votivis, etiam infra Octavam, nunquam dicitur *Gloria* & *Credo*, nisi in Missis Angelorum, & B. Virginis in Sab-  
bato (in quibus dicitur *Gloria* sine *Credo*) & quando fit Missa  
solemnis pro re gravi vel publica causa. Si tamen etiam tunc  
adhibeantur paramenta violacea, non debet dici *Gloria* &  
*Credo*, (extra Dominicam, in hac enim semper *Credo* dici-  
tur) uti S. Rituum Congregatio decrevit. Quando Missa vo-  
tiva dicitur eo die, quo Sanctus aliquis obiit, convenit dice-  
re *Gloria*, etiam si non sit dictum Officium de eo. Arnaudus  
*tit. 8. n. 1.*

II. In Votivis privatis de aliquo Sancto, pro Gratiarum  
actione, secunda Oratio erit de Officio, tertia pro Gratiarum  
actione. In Missa verò solempni dicuntur duæ tantum assi-  
gnatæ in proprio loco, id est, una, vel Missæ SS. TRINITA-  
TIS, vel Spiritûs Sancti, vel Beatæ Virginis, & altera pro Gra-  
tiarum actione, sub una conclusione. In alijs Votivis pri-  
vatis, propriè gratiarum actionis, prima Oratio erit, ut in  
Missa solempni, secunda de Officio, tertia, quæ alioqui se-  
cundo loco fuisset dicenda. Juxta superius dicta p. 2. tit. 11.  
*num. 5.*

III. In Ferijs Adventûs, si dicantur Missæ Votivæ de  
Passione, vel pro peccatis & aliæ, non est omittendus Versus  
cum suo Alleluja, quia non sunt Missæ de Tempore. Si verò  
infra Octavam Paschæ ob gravem aliquam causam contin-  
gat dici Missam Votivam, non dicitur Graduale, licet illud  
dicatur de Tempore: sed dicuntur duo Versus cum suis Alle-  
luia: & in fine Missæ, dicitur *Ite Missa est* sine duplici Alle-  
luia. Arnaud. *tr. 1. tit. 17. n. 5.* ex Gavanto p. 4. *tit. 17. n. 12.*

IV. A Septuagesima usque ad Pascha in Votivis, quæ di-  
centur, semper dicitur Tractus, etiam ijs diebus, in quibus  
non dicitur in Missa Feriæ. Arnaud. *l. c. n. 3.*

V. Psalmus *Judica* & *Gloria Patri*, ad Introitum, & in fi-  
ne Psalmi *Lavabo* dicitur in omnibus Votivis, etiam tem-  
pore Passionis, licet non dicatur in Missis de Tempore. Ar-  
naud. *l. c. n. 4.*

VI. Præ-



VI. Præfatio propria dicitur, si eam habet Missa *Votiva*; si non habet, dicitur de Tempore, vel Octavâ, vel Communis. Infra Octavam tamen Nativitatis dicitur Præfatio de Nativitate, licet *Votiva* propriam habeat. *Communicantes*, & *Hanc igitur*: dicitur, si *Votiva* dicatur infra Octavam, quæ illud habet. Gavant. tit. 12. litt. G.

VII. Pro Evangelio ultimo in his Missis semper S. Joannis Evangelium sumitur.

### TITULUS III.

#### DE MISSIS PRO DEFUNCTIS.

ETiam de his tria consideranda veniunt. 1. Quando dici possint. 2. Quæ Cæremoniæ in ijs sint observanda. 3. Quomodo Absolutio peragenda sit.

#### §. I.

##### Quando dici possint.

I. **M**issæ privatæ pro Defunctis dici possunt quocunque die, quo licitum est *Votivam* Missam celebrare. Gavant. p. 1. tit. 5. Imò etiam in Duplici Festo (modò non Christi solemne) dici posse talem Missam, docent probi Authores apud Dianam p. 3. tr. 6. resol. si tamen id exigat. Verùm quia Alexander VII. & Clemens IX. speciali decreto veruerunt, ne in Duplicibus, ejusmodi Missæ *votivæ* legatur, concesseruntque, ut Indulgentiæ, quæ alioqui non nisi per Missam de Requiem in Altari privilegiato obtineri poterant, etiam per Missam de Festo occurrente dictam impetrari queant, ideo saltem, ubi promulgatum est ejusmodi decretum, observari debet. Sed infra Octavam Corporis Christi, Missæ de Requiem pro Defunctis prohibitiæ sunt nisi Decreto Clementis X. die 21. Junij 1670.

II. In Dominicis & Festis, quæ non sunt primæ Classis Missam insepulto, hoc est, præsentem corpore in Ecclesia, concessit S. Rituum Congregatio 25. Maij 1603. quod Arduus p. 1. tit. 5. num. 4. intelligendum putat de solemni tantum, non de privatis, quæ etiam præsentem corpore non possunt in Dominicis aut Duplicibus.